



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 10. Spes longanimis. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & alijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

pius, recordatio criminum, & timor, eam retardabant: & ab illo abstinere diutius spes, & dilectio, prohibebant. Timore tandem bonæ spei concorditer sociatō, ambo duces peccatricis mulieris fiunt. Beati tales duces! quia semper ad Christum ducunt. Sylveira hic.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. 43. O res novas; & admirabiles! latro cum Christo, cum diabolo Discipulus Judas! Lux est in tenebras conversa; tenebræ sunt in lucem commutata: Agnus lupus, & lupus agnus. S. Chrysof. tom. 6. orat. in descensum Christi ad inferos. Sed, ne fortè, charissimi, aliquem nimis securitas credulitatis; ne fortè dicat aliquis in corde suo: non me usque adeò conturbet, & cruciet, rea conscientia. Video sub momento, video sub exiguo spatio, latroni crimina sua donata; & mihi resoluta, mente concipiuntur. Primum considerandum in latrone illo, non solum credulitatis compendium, sed devotio; sed temporis illius, sub quo hæc agebantur, occasio; quò iustorum legitur titubasse perfectio. - Immittit diabolus securitatem, ut inferat perditionem: neque dinumerari possunt, quantas hæc inanis spei umbra deceperit. De terreat, quæso, nos ab hac persuasione innumerabiles populi, sub tali securitate nudi, & vacui; bonis; & malis pleni, ex hac luce præcepti. Ipse se seducit; & de morte sua ludit, qui hoc cogitat: potest mihi extremi temporis indulgentia subvenire. Non est hoc: primum, quia periculosissima est in ultimum diem promissa securitas: deinde stultissimum est; ut causa, quæ de necessitatibus agitur æternis, inutilitatis vitæ deficientis committatur extremis. - Ille autem beatus latro vitæ prædam subito rapiens, nec salutis tempora scienter distulit, nec remedia statûs sui in momenta ultimæ felicitatis fraude posuit. S. Aug. l. 120. de temp.

Infremuit. Joan. 11. 33. Lazari resuscitatio typus est resuscitationis peccatoris à morte culpæ ad vitam gratiæ. Multa egit in resuscitatione Lazari Christus; docens, difficultatem resuscitationis spiritualis. *Infremuit*: ne putemus, illum fore perpetuò bonum, dulcem, suavem. Sed cogitemus, illum scire etiam leonis instar fremere. Dæmon facit contrarium: ante peccatum facilem promittit veniam, misericordiam extollit, minuit iustitiam. At, post peccatum, dum redire vis ad poenitentiam; vertit folium S. Gregorius Nyss. hom. 5. in Cant. Sathanam vocat dæmonium improbum, & Lunare, hoc est, Lunæ simile: quia sicut illa suas habet, per intervalla, accretiones, & diminutiones; sic dæmon de iustitia dimittit ante peccatum, eandem post peccatum auget. Did. Niss. ser. 6. Dom. 4. Quadr. §. 6.

Ex utroque homines periclitantur; & sperando, & desperando. Sperando quis decipitur; qui dicit, bonus est Deus, misericors est Deus; faciam, quod mihi placet, quod lubet: laxem habenas cupiditatis meis, impleam desideria animæ meæ. Spe isti periclitantur &c. Metuendum est, ne te occidat spes; & cum multum speras de misericordia, incidas in iudicium, S. August. t. 33. in Evang.

Nemo præsumat de meritis suis; nullus desperet de malis suis. S. Chrysof. in Pf. 41.

§. X.

Spes longanimitis.

Ex Veteri.

Concepit, & peperit filium in senectute sua. Gen. 21. 2. Ubi Abrahami devotio plus emicuit? expectatione? an oblatione filij sui? Zeno Veron. l. 1. de Abrah. Abraham Patriarcha nos ter exploratus à Deo, in senectute suscepit filium. Nihil tamen sollicitum patri - Ecce prima devotio, libenter excipere, quod serò datur. Magna devotio, quæ filium immolat; sed prima, quæ expectat. Naxera in Jos. 10. §. 40.

Deprecatusque est &c. Gen. 25. 21. Hebr. *Ferbar*, id est, multum, & instanter precatus est. Unde S. Chrysof. hom. 49. cenet, Isaac per viginis annos orasse pro sterilitate Rebeccæ tollenda; ac vigesimo demum anno impetrasse. S. Iustus ille, inquit, ita virtute præditus, & tantam apud Deum gratiam habens, tantam præ se tulit constantiam, & studium, continuò Deum orando, ut solveretur Rebeccæ sterilitas. Quid dicemus nos qui tantis peccatorum oneribus premimur: sed, etsi parvò tempore studium aliquod exhibuerimus, torpescimus & resiliimus; nisi statim exaudiamur &c.

Imple cornutum oleo; & veni, ut mittam te ad Isai Bethlethemitem: providi enim in filio eius mihi regem. 1. Reg. 16. 1. Dicitur Deus Davidem, cum adhuc puer esset, in regem elegisse: sed, priusquam illud impletur, multum temporis præterit, plurimosque labores David perpeius fuit. Quibus exactis possessionem regni suscepit. Diez. conc. 3. D. 2. Epiph.

Asael cursor velocissimus. 2. Reg. 2. 18. Asael, dum nimis currit in victoria, occisus est, v. 23. S. Paschal. l. 5. in Thr. Asael cursor erat velocissimus, tanquam unus ex capreis; nesciens veloces animi motus patientiâ, & gravitate, temperare. Unde, dum velocius sequitur hostem, ictus vulnere perit. Bæza t. 2. l. 2. c. 9. §. 3.

Salomon statuit duas columnas in porticu templi. 3. Reg. 7. 21. vide hoc titulo §. 1. sub initium.

Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei &c. Judith. 8. 13. *Expectemus humiles consolationem eius.* v. 20. &c.

A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino. Pf. 129. 6. *De mane usque ad vesperam finies me.* Ps. 38. 12. id est, consummabis me. Non in solo mane visitationis, aut tantum in vespera tentationis; sed in utroque simul erit perfectio mea. Stultus ego, qui tantum sperabam usque ad manè; cum David dicat: *à custodia &c.* S. Bernardus serm. de Cantico Ezechia Proph.

Metuentes Dominum sustinete misericordiam eius. Eccl. 2. 7. Horologium, quod in pectore gestatur holoserico obductum, silet quidem; sed suo tempore, cum opus erit, vocem dabit. Dabit etiam suum auxilium Deus expectan-

expectanti, & sustinenti, misericordiam ejus. Octavianus hic.

Va qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Isa. 5. 18. *qui dicitis, festinet, & cito veniat* &c. v. 19. Ecce in trahenda iniquitate, & vanitate, quam longos trahant funes, quam longam consistunt pertinaciam; ut sine fine funis efficiatur. Verum ut Deum trahant, dicunt: *festinet, & cito veniat.* Nullam Dei moram ferunt; nihil à Deo volunt: non festinantem illum repellunt, si tantisper retardet. Baeza t. 2. l. 5. c. 3. §. 7.

In die illa erit Dominus exercituum corona gloriae. Isa. 28. 5. *Sept. erit Dominus corona spei ornata gloria.* Licet Deus omnia benefacta liberalissimè muneretur; cum latioribus tamen remunerat spem, & desiderium, gloriae: non est enim martyrium par flagranti desiderio. Did. Nisil. fer. 6. D. 1. Quadr. §. 1.

Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. Habac. 2. 3.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Nolebant venire. Matth. 22. 3. 4. invitati ad nuptias. Iterum mittit Rex servos cum tali mandato: *prandium meum paravi; tauri mei, & altilia, occisa sunt, & omnia parata; venite ad nuptias.* Cur monet, in promptu esse omnia; nec aliud reliquum, quam venire, & instructam jam mensam assidere? Causa hæc est: vocabantur primò nuntio ad nuptias, & ad prandium: cumque invitati putarent, moras fore in celebritate nuptiarum, volebant venire. Nam homines omni voluptati renuntiare malunt, quam diu illam expectare. Plus enim ponderis habet dolor desiderii præsentis, quam gaudium boni futuri. Itaque Rex, ut certò illos convivas habeat, monet: invitasse illos non ad expectandum, sed ad prandendum. Did. Nisil. antè cit.

Et vos sumus hominibus expectantibus. Luc. 12. 36. Vel expectantibus assimilari sic arduum, ut beatitudinis præmiò expectationis laborem molliat. *Beati sunt servi illi.* S. Chrysol. l. 24. nè quis longæ expectationis fatigatione succumberet, perseverantibus beatitudinem cœlestem, cœlestem promittit obsequium, Naxera in Jos. 10. §. 40.

Triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Joan. 5. 5. Pudeat nos, pudeat, dilectissimi, & incredibilem fiduciam nostram deploremus: Octo, & triginta, annos hic expectaverat, expectabatque; neque ejus impletum est desiderium, neque negligentiam suam non sanabat; sed præventus ab aliis: neque propterea desperavit. Nos autem, si vel decem dies orationibus invigilantes non exaudimur, jam tepescimus, S. Chrysol. hom. 53. in Joan. 5.

Cum serò esset die illa. Joan. 20. 19. Deus licet mille modis fidem, ob spem, amicorum suorum probet; ut plurimum tamen serò, & circa vesperam, in rebus adversis opitulatur; cum nullum aliunde auxilium expectatur. Quem probandi modum si Deus non usurpa-

ret, plurimæ, quæ jam splendēt, virtutes obscuræ in Mundo laterent. Si enim præceptum, quò volebat, ut Abraham filium immolaret, ille ad hoc patrandum domo egressum revocasset; admirabilem Isaac obedientiam neminò cognitam habuisset, Gen. 22. 1. Si diluvium, Gen. 8. 5. non nisi triduo, aut quadriduo, durasset, sinceritas, pietas, & magnanimitas Noëmi nemini cognita fuissent. Si calamitates Job 1. 13. &c. ad primæ cladis nuntium finem habuissent, quis unquam patientiam illius deprædicasset? Si Laban tempus servitutis Jacobo non prorogasset, Gen. 29. 27. nemo cognitum haberet, quò amore Rachel afficeret. Bessius Dom. in Alb.

Ecce prima devotio, libenter excipere, quod serò datur: nam & risit Sara, manus juventutis subiens in senecta. S. Zeno Veron. l. 5.

Verbum in uterum Virginis descendit; ut spem daret laborantibus, peccantibus indulgentiam, diligentibus pacem, atque expectantibus mercedem. S. Laurent. Just. l. de annunt.

Nihil aliud est longanimitas, quam qui arduum aliquod ex spe semper, ac diu dilatum, patienter expectat; & hoc à Spiritu S. S. Thom. Aqu. Lect. 2. in 2. Cor. 6.

In his, quæ ab omnium largitore quaruntur, oportet, imò expedit, expectare tempus, locum, donationis, modum, quantum, & quale. Sim. Cass. l. 6. c. 1.

Genius quasi fessus, & sopore lassus, incubat anchoræ. Lem. *Juvat fessos. Habebis fiduciam, proposuit tibi spe, & defessus securus dormies.* Job. 11. 18.

Spes est dura; sed lenit tamen viæ labores. Non solet tranquillitas in delicati pectoris molli toro Secura permanere. Spe durâ jacet Securitas; spes dura tranquillum facit Sibi incubantem, sæviant venti licet, Dominentur undæ; somnium ex illis tamen Spes dormientis facere jucundum potest.

Hesius. Genius erectam amplexatur anchoram. Lem. *Constantem spes summa coronat. Singulariter in spe constituisti me.* Psal. 4. 10 Idem.

Anchora insigitur. Lem. *Spes ferit & tamen una juvat, mentemq, quietem sola facit. Fundati, & stabiles, & immobiles, à spe.* Coloss. 1. 23. Idem.

§. XI.

Spes maximè floret in arduis; diffidentia sui &c.

Ex Veteri.

Faciā te in gentem magnam. Gen. 12. 2. Abraham adhuc juvenis erat, cum ei Deus promissit multiplicationem seminis; præteritque multus annorum numerus, & mortua ejus natura: & tamen nihil fluctuat fide. Et ætate quidam senescēbat, spe verò juvenescere videbatur. Isidorus Clarius l. 1. or. 13.

Egressi sunt omnes cum turmis suis, populus.

ia con-
rrem,
quòd,
ndum
mmo-
.1.
i non
i gu-
à re,
Dei:
cum
2. 5.
ostis,
quòd
tio-
c. de

nt.
ab
tir-
en-
an-
ia:
is.
o-
æ
s.

e-
i-
-
n
n
;
e
n